

regit: cœcus e contrario, quia validus est corpore & cruribus, in humeros claudum tollit, ejusque bajulus evadit.

§. III.

Si accurate hic versari velimus, non confundenda est liberalitas cum officiositate. Illa pro objecto habet divitias, quas distribuit donando pauperi pecuniam, vestem, cibum, potum &c. Hæc vero officia spectat & confert, juvando indigentem re, ubi re opus est, & verbis ubi verbis opus est. Cum igitur gratis curat medicus, gratis coram judicio defendit causidicus, gratis lavat balneator, proprie loquendo non liberalitatis, sed officiositatis leges, in capite de Amicitia præscriptæ, servantur. Alii liberalitatem a beneficentia distinguunt. Liberalitas stricte eam virtutem designat, quæ donando alteri benefacit; donamus autem ea, quæ accipi proprie possunt, hoc est pecunias & res, quæ pecunia æstimantur, qua donatione danti semper aliquid decedit ac perit. Beneficentia vero latius patens, illa virtus dicitur, quæ jure civili non cogente, commoda & emolumenta alterius quærit, sive id fiat consilio, sive ipsa opera. Ex quibus colligimus, eum qui doctrinam atque eruditionem suam sine pretio cum aliquo communicat, proprie non posse dici liberalem, cum liberalis rem, quam possidet, tradat in potestatem alterius, ita ut hoc quod dat, non amplius possideat, aut si dominus & possessor manet, usum tamen rei in alium trans-

Non confundenda est liberalitas cum officiositate.

Liberalitas quo modo differat a beneficentia?

Is qui eruditionem suam sine pretio cum aliquo communicat,